

gi in tractatu de religione ex instituto ostendere solent.

48. QUÆRES XX. *An prophetiae etiam falsis sectis faveant?* R. Negative. Nam omnis prophetia, si sit proprie talis, est a Deo auctore (1), qui falsam religionem signis aut prophetiis approbare nequit. Certe oracula gentilium non erant prophetiae proprie tales; ut supra (2) ostendimus.

49. QUÆRES XXI. *An etiam homines nequam et peccatores possint habere, et quandoque habeant spiritum propheticum ac praedicant verum?* R. Affirmative. Vere enim prophetarunt Balaam et Caiphas uterque sceleratus; prout alibi (3) iam diximus. Rationem autem, cur donum prophetiae etiam malis hominibus communicari a Deo possit, et quandoque iis communicetur, s. Thomas (4) assignat istam; quia Deus utitur etiam malis in utilitatem honorum, atque ita fit, ut veritas magis credibilis evadat, quia etiam ei adversantium testimonio confirmatur. Verba doctoris Angelici loc. cit. sunt: « Deus utitur etiam malis ad utilitatem honorum. Unde et per prophetas daemonum aliqua vera praenuntiat; tum ut credibilior fiat veritas, quae etiam ex adversarii testimonium habet, tum etiam quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur ». Aliam adhuc rationem idem s. Doctor alibi affert, scilicet hanc; quia donum prophetiae est gratia gratis data, quae alicui conferri potest, quin eidem etiam conferatur gratia gratum faciens, i. e. gratia sanctificans, per quam homo fit amicus Dei. « Bonitas hominis, inquit lau-

(1) V. supra n. 1 et 13. (2) Ib. n. 23.

(3) S. Scriptur. contra incredulos propugn., V. 2., d. 1, sect. 2. a. 30, n. 42 in nota (5).

datus s. Doctor (5), in charitate consistit, per quam homo Deo unitur. Quaecumque ergo sine charitate esse possunt, communiter inveniri possunt in bonis et malis. In hoc enim divina bonitas praecipue commendatur, quod tam bonis quam malis utitur ad suum propositum implendum, et ideo utrisque tam bonis, quam malis, illa dona largitur, quae ad charitatem necessariam dependentiam non habent. Prophetia autem non habet necessariam quamdam colligantiam cum charitate propter duo: primo quia prophetia est in intellectu, charitas in affectu... Secundo quia prophetia datur alicui propter utilitatem ecclesiae, et non propter seipsum. Contingit autem aliquem utiliter quantum ad aliquid deservire ecclesiae, qui in se bonus non est... Unde prophetia, et operatio miraculorum, et ecclesiastica ministeria, et alia huiusmodi, quae ad utilitatem ecclesiae conferuntur, inveniuntur quandoque sine charitate, quae sola homines bonos facit ».

Observandum tamen hic est, quod donum prophetiae, quamvis sit gratia gratis data in utilitatem aliorum destinata, tamen etiam in utilitatem eorum, quibus hoc donum conceditur, dari possit, et saepe detur; et tunc Deus per gratiam gratis facientem seu sanctificantem sese transfert in animos eorum, quibus donum prophetiae communicatur, eosque prophetas simul, et amicos suos constituit. Si autem prophetiae donum ad utilitatem aliorum solummodo communicetur, tunc nulla huiusmodi gratiae transfusio fit in eos, quibus communicatur. « Dicendum, inquit s. Thomas (6), quod donum prophetiae

(4) 2 2, q. 172, art. 6 ad primum.

(5) De veritate q. 12, art. 5.

(6) 2 2, q. 172, art. 4 ad primum.

aliquando datur homini, et propter utilitatem aliorum, et propter propriae mentis illustrationem: et hi sunt in quorum animas sapientia divina per gratiam gratum facientem se transferens, amicos Dei, et prophetas eos constituit. Quidam vero consequuntur donum prophetiae solum ad utilitatem aliorum, qui sunt quasi instrumenta divinae operationis. Unde Hieronymus dicit super Matthaeum (cap. 7, v. 22): « Prophetare, et virtutes facere, et daemonia eiicere, interdum non est meriti eius qui operatur, sed vel invocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum, qui invocant, et utilitatem eorum, qui vident et audiunt, conceditur. »

50. QUÆRES 22. *Quomodo ille textus (Deuter. c. 13, v. 1, 2 et 3): « Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium se vidisse dicat, et praedixerit signum atque portentum, et evenerit, quod locutus est, et dixerit tibi: eamus et sequamur deos alienos... non audies verba prophetae illius aut somniatoris, » intelligendus sit? Aut an Spiritus propheticus etiam alicui communicetur ad confirmandam doctrinam falsam, e. g. sequendi deos alienos, et exercendi idololatriam?* R. Donum prophetiae nulli communicatur a Deo ad confirmandam doctrinam falsam; neque citatus textus id dicit, sed longe alium sensum habet. Afferunt autem interpretes orthodoxi triplicem huius textus expositionem, quarum nulla concedit aut supponit, donum prophetiae dari posse ad confirmandum falsum. PRIMA expositio est eorum, qui dicunt in citato textu esse argumentationem ex hypothesis impossibili, qua interdum in loquendo

uti solemus, ita ut sensus sit: Etiam si fieri posset (quod tamen impossibile est), ut quis veram prophetiam cum eventu et miraculo coniunctam ederet, et sic ad idolorum cultum incitaret, talis audendus non est; ferme sicut Paulus (1) ait: *Licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* ALTERA expositio est; quod in citato Deuteronomii loco sermo esse videatur de homine, qui fingeret se per somnium habuisse visionem rei futurae, et qui eventu quem naturali sagacitate praevidet, praenuntiatio ad idololatriam incitaret. In hoc casu iubet Deus eventum huiusmodi non curare; cum satis ex perversa talis somniatoris doctrina pateret, divinam ac propriam (2) prophetiam hic esse non posse. TERTIA denique, et ex Tirini, aliorumque iudicio genuina expositio est haec: « Prophetes, sive a Deo is sit, sive a daemone afflatus; sive falsa edat prodigia et ficta ad suae impiae doctrinae confirmationem, sive vera olim ediderit ad veritatem confirmandam, atque his nomen et auctoritatem veri prophetae comparavit; si tamen post contingat, ipsum idololatriam suadere, nullo modo audiendus est; qualiscumque tandem ille propheta sit, quantumcunque signa ediderit, et quantumcunque portenta quae praedixerat, eveniant. » Talis propheta fuit e. g. Balaam, qui verus fuit propheta, et res futuras, longe remotas, et veras praedixit. Sic de regno Christi, instar stellae ex Israël nascituri, item de Amalec, de cinaeis, de regno romanorum, eorumque excidio (3) vaticinatus est. Nihilominus mansit in impietate sua, et scelerato consilio

(1) Ad Galat. c. 1, v. 8.

(2) Vide supra n. 1 et 16.

(3) Num. 24, v. 17, 20-25.

suo (1) israelitas ad idololatriam et impudicitiam induxit.

51. QUÆRES XXIII. *An et quomodo prophetiae verae a falsis discerni possint?* R. Characteres verae prophetiae sunt sequentes: I. PROPHETIAE EVENTUS, hoc est, si quae propheta praedixit, ipso eventu compleantur. Unde in Scriptura (2) hoc assignatur signum, falsum prophetam a vero discernendi: « Quod si tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit: hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non timebis eum. » Duo tamen hic sunt notanda: 1. quod hic character, scilicet prophetiae eventus ad veritatem prophetiae solum requiratur, si aliquid *absolute*, non vero si *conditionate* praedicatur, et conditio non impleatur (3). 2. Quod solus hic character non semper sufficiat ad existentiam prophetiae *proprie* talis demonstrandam, si nempe aliquid praedicatur, quod etiam *naturali* sagacitate praevideri potest (4). II. DOCTRINAE VERITAS. Si enim prophetia aliquid continet repugnans veritatibus iam antea vel ex revelatione, vel ex recta ratione certis, non est vera, sed spuria prophetia. Hinc *Paulus* (5) ait: *Nemo in spiritu Dei loquens dicit Anathema Iesu*: ergo prophetia divinitati Christi contradicens, hoc ipso spuria est et adultera. III. PROPHETIAE CLARITAS SUO TEMPORE APPARENS; nam prophetia debet ha-

(1) Ibidem. v. 14; item n. 51, v. 16. Vide etiam *Cornel. a Lap.* comment. in n. 24, v. 14.

(2) Deut. c. 18, v. 21 et 22.

(3) Vide supra num. 42.

(4) Vide supra n. 1 et 16.

bere sensum determinatum ita, ut saltem post eventum clara fiat; sic e. gr. prophetia de excidio templi et Hierosolymae (Dan. c. 9, v. 26) his verbis expressa: *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*, omnino perspicua est, postquam exercitus romanus, duce *Tito*, Hierosolymam expugnavit, templum et urbem devastavit. IV. MIRACULA, quae si prophetiae confirmandae accedant, maximam probandi vim illis conferunt. Plura de signis et characteribus verae prophetiae a falsa discernendae apud *Calmetum* (6), et *Sigism. Storchenau* (7) invenies.

52. COROLLARIUM. Ex dictis patet, frivolum ac infirmum esse incredulorum (8) argumentum, dum aiunt, nihil ex prophetiis probari posse: quia dum illae fiunt, aut fiebant, nondum discerni poterat, utrum sint verae, vel falsae. Nam etiamsi ab initio hoc dubium fuisset, tamen dubitatio de veritate prophetiae cessasset, postquam illa impleta est. Consensus enim praedicti eventus cum vaticinio, quo praedicebatur, clarum indicium est, illud vaticinium fuisse verum, et illius auctorem non esse falsum prophetam; notanda tamen ea, quae hac de re numero praecedente observavimus. Caeterum falsi prophetae semper facile discerni poterant; quia omnibus temporibus sui similes erant, impiis hominibus adulantes, impunitatem scelerum ac pacem falso promittentes, et contemptum religionis, divinaeque iustitiae inculcantes; sicut nostra aetate solent facere increduli, et pseudo-philoso-

(5) I. Cor. c. 12, v. 3.

(6) Praef. general. in prophetas, art. 4.

(7) Loc. cit. pag. 157-163.

(8) Esprit. du judaïsme, c. 9, p. 127. Philos. de l'hist. c. 43.

phi. Certe falsi prophetae nunquam deceperunt alios, nisi volentes.

53. QUÆRES XXIV. *An ab origine mundi usque ad ultima ecclesiae tempora dati sint prophetae?* R. Affirmative. Nam prophetae IN LEGE NATURAE erant *Adam* (1) suo cum *Eva* coniugio praesignans connubium mysticum Christi cum ecclesia: *Noë* praedicens diluvium: *Abraham Isaac et Jacob* de rebus diu post futuris a Deo instructi, aliique. IN LEGE MOSAICA prophetarunt *Moses, Samuel, David, Elias, Eliseus*, pluresque alii, quibus accenseri possunt summi pontifices, per *Urim et Thummim* oracula (2) reddentes. Prae aliis autem nomine prophetarum V. T. veniunt ii, qui vocantur prophetae maiores, nimirum *Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel*, vel minores, *Oseas, Ioël, Amos*, etc., quorum vaticinia sub nomine prophetarum in sacris bibliis continentur. Denique IN LEGE GRATIAE apparuit summus prophetarum et prophetiarum auctor IESUS CHRISTUS, in quem tanquam scopum collimant tota lex et prophetae. Praeterea donum prophetiae in lege nova Deus communicavit (3) *Mariae* sanctissimae matri suae, *Zachariae, Simeoni, Ioanni Baptistae*, quos sequebantur apostoli, pluresque viri apostolici, continua quasi successione in ecclesia catholica dono prophetiae illustres; uti testantur s. *Iustinus* (4), et s. *Augustinus* (5) de

suis temporibus; de aliis vero seculis *Thomas Bozius* (6), et theologi polemici passim.

54. QUÆRES XXV. *Quomodo intelligendum illud* (Luc. c. 16): *LEX ET PROPHETAE USQUE AD IOANNEM; cum tamen usque ad ultima ecclesiae tempora prophetae aliqui fuerint?* R. Dictum illud Christi Domini intelligendum est de illis solum prophetis, qui de primo Christi adventu in hunc mundum prophetarunt; non de illis, qui vel de secundo eiusdem adventu in extrema iudicii die, vel de aliis quibusvis rebus aliqua praedixerunt. Nam, ut de aliis nihil dicam, *Agabus* post *Ioannem Bapt.* ab ipsa sacra Scriptura vocatur *propheta* (7), et famem generalem vaticinatus est (8), ac s. *Paulo* praedixit, fore ut Hierosolymae in vincula coniciatur (9). S. *Ioannes* quoque in Apocalypsi verus est propheta, librumque suum in ultimo Christi adventu ad iudicium extremum terminat.

55. QUÆRES XXVI. *Quinam et quot numero dicantur prophetae V. T. maiores et minores?* R. Prophetae, qui dicuntur *maiores et minores*, sunt universim sedecim, nimirum quatuor maiores, *Isaias, Ieremias*, cui iunctus est *Baruch* eius amanuensis, *Ezechiel, Daniel*. Atque hi ob prophetias suas fusiores appellantur quatuor prophetae *maiores*. Sequuntur duodecim minores, nimirum *Oseas, Ioël, Amos, Ab-*

(1) Genes. c. 2, v. 21 et 23. Ubi, cum Deus Adamo immisit soporem cum extasi mentis coniunctum, is spiritu prophetico cognovit, matrimonium naturale esse figuram unionis Christi cum Ecclesia. Vide interpretes orthodoxos in cit. loc.

(2) Quid in rationali summi Pontificis fuerit *Urim et Thummim*, et quomodo Deus per *Urim et Thummim* summo Pontifici responderit, seu oracula dederit, explicat *Cornelius a Lap.*, aliique interpretes

comment. in Exod. c. 28, v. 50. Idipsum etiam exponit *Calmetus* in suo dictionario biblico v. *Urim et Thummim*.

(3) In cantico *Magnificat*.

(4) Dial. contra *Tryphon*.

(5) L. 5. de civ. c. 26.

(6) De signis Ecclesiae Dei tom. 1, l. 6, sign. 19; item tom. 2, lib. 22, c. 3, p. 421.

(7) Actor. c. 21, v. 10.

(8) Actor. c. 11, v. 28.

(9) Actor. c. 21, v. 11.

dias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, ideo dicti prophetarum *minores*, quia vaticinia sua libellis brevioribus sunt complexi; licet caeteroquin auctoritate canonica omnino pares sint prophetis maioribus.

56. QUÆRES XXVII. *Quo tempore prophetarum maiores et minores prophetaverint, et an eo ordine, quo in sacris bibliis ponuntur?* R. Ad intelligenda vaticinia prophetarum tam maiorum, quam minorum magnopere refert scire chronotaxim seu tempus, quo quisque illorum prophetarum vaticinatus est. Hinc scripturistae, nominatim *Cornelius a Lap.* (1), *Tirinus* (2), *Goldhagen* (3), solent oculis subiicere tabulam chronologicam prophetarum tam maiorum quam minorum. Et quamvis hae tabulae inter se discrepent quoad figendum annum mundi, quo primus prophetarum istorum, nempe *Oseas*, prophetare coepit; tamen omnes in eo conveniunt, quod prophetarum tam maiores quam minores intra spatium 300 annorum circiter, aut certe non ultra spatium 400 annorum floruerint.

Porro scire expedit, quinam eorum ante, in, aut post captivitatem babylonicam vaticinati sint; ante captivitatem prophetarum *Oseas, Ioël, Amos, Isaias, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum*: *Ieremias* vero prophetavit paullo ante captivitatem babylonicam, et durante ipsa hac captivitate, quae contigit sub *Sedecia*, rege Iuda. Circa idem tempus prophetarum *Habacuc, Sophonias, Baruch, Ezechiel*. Unde colliges, quod *Ieremias* et *Ezechiel* eodem ferme tempore vaticinati sint: *Ieremias* quidem in Iudaea, *Eze-*

(1) Ad initium comment. tam in prophetas maiores, quam minores.

(2) In chronico sacro ante commenta-

chiel in Babylonia; et idem erat utriusque prophetarum argumentum, hoc solo discrimine, quod quae *Ieremias* clare et aperte iudaeis Hierosolymae, eadem *Ezechiel* in Babylonia tecte per figuras et aenigmata proposuerit; quod ideo fecisse creditur, quia noluit sua innotescere babyloniis, ne hi causam inde sumerent irridendi et vexandi iudaeos; sed voluit illa a solis popularibus suis intelligi, quibus ipsemet omnia explicabat. Circa idem tempus in captivitate babylonica clarere coepit sub *Nabuchodonosore Daniel*, et prophetam egit usque ad tempora *Cyri*. Post reditum iudaeorum ex captivitate babylonica floruerunt *Aggaeus, Zacharias et Malachias*.

Praeterea notandum, quod ex praedictis prophetis aliqui etiam ante eversionem regni Israël (hoc est, antequam decem tribus ad assyrios abducerentur) vaticinati sint. Nam *Oseas, Amos, Isaias, et Michaeas* non tantum de regno Iuda, sed etiam de regno Israël, eiusque interitu prophetarunt; ceteri ex praedictis prophetis ferme unice regnum Iuda respiciunt. Voluit nimirum Deus tot prophetas intra spatium 300 annorum (vel certe non ultra spatium 400 annorum) ad regnum Israël et Iuda mittere, ut lapsos in abominanda scelera, praesertim idololatriae de imminente poena praemoneret, et ad avitam religionem ac Deum patrum suorum revocaret.

Denique ad partem alteram praesentis quaestionis, R. Et dico, prophetas eo ordine temporis prophetasse, quo in nostris bibliis ponuntur, nisi quod quatuor maiores prophetarum cum *Baruch* praeponan-

rium suum in s. Scripturam posito, c. 50.

(3) Part. 2, introduct. in s. Script., n. 209.

tur prophetis minoribus, etiamsi non hos omnes tempore praecesserint. Nam teste *Cornelio a Lap.* (1), cui hac in re etiam caeteri scripturistae ferme in omnibus consentiunt) primus secundum seriem temporis, quo vaticinati sunt, fuit propheta *Oseas*: 2. *Ioël*, 3. *Amos*, 4. *Isaias*, 5. *Abdias*, 6. *Ionas*, 7. *Michaeas*; 8. *Nahum*, 9. *Habacuc*, 10. *Sophonias*, 11. *Ieremias*, 12. *Baruch*, 13. *Ezechiel*, 14. *Daniel*,

15. *Aggaeus*, 16. *Zacharias*, 17. *Malachias*.

Haec de prophetis et prophetis generatim sumptis (maxime in ordine ad scopum nostrum contra incredulos) adnotasse sufficiat. Plures adhuc canones seu regulas, quae ad intelligendos propheticos s. Scripturae libros apprimè serviunt, eruditissime recensent *Salmeron* (2), *Cornelius a Lap.* (3), *Calmet* (4), *aliqui*.

SECTIO II.

DE PROPHETIS MAIORIBUS

CAPUT I.

De Isaia.

ISAIAS secundum etymon nominis sui יֵשַׁעִיָּהּ, *Iescia'iah, Salus Domini* in vaticiniis suis regnum Israël, praecipue tamen regnum Iudae spectat, quam historiam licet respiciat, permagna tamen cura circa vocationem gentium, et Iesu Christi adventum, praedicationem, passionem, mortem, regnumque versatur. Porro hic propheta fuit vir per omnia MAGNUS, puta primo SPLENDORE GENERIS, utpote regia stirpe ortus (5). Secundo, VITAE SANCTITATE, ut patet ex eius scriptis, et ex communi ecclesiae sensu, in qua pridem receptissimum fuit, huic prophetarum titulum *sancti* attri-

buere (6). Tertio, ELOQUENTIA, qua ut aulicus, et e regia stirpe, et regie educatus, plurimum valuit. Unde a s. *Chrysostomo* (7), merito *Propheta vocalissimus* et *magniloquentissimus* vocatur; a *Grotio* (8) vero *Demostheni*; a *Mornaio* (9) *Tullio Ciceroni*; a *Heideggero* (10) fulguranti *Pericli* comparatur; imo *Gaspar Sanctius* (11) neminem illi vel oratorem, vel poetam, vel historicum conferendum putat, utpote quos omnes eloquentia stiloque sublimi longo post se intervallo relinquit, nobilitatem generis sui ipsa dictione prae se ferens. Scripsit autem librum suum hebraice, quem LXX interpretes in linguam graecam, s. *Hieronymus* in latinam transtulerunt; quamvis hodie translatio

(1) In prophetas prooemio, q. 4.

(2) Prolegom. in s. Scripturam, proleg. 10, can. 55, usque ad canon. 48.

(3) Vide in fronte commentarii huius auctoris in prophetas maiores, prooemium et canones, qui facem praefertunt intelligendis prophetis; item prooemium et canones in 12 prophetas minores.

(4) Praefat. general. in prophetas.

(5) *Isaias* fuit nepos *Amasiae* regis Iuda ex fratre, patruelis, et socer *Manassis*, ut teste *Hieronymo* in c. 20 *Isai.* hebraei tradunt.

(6) In martyrologio romano annuntiat die sexta iulii memoria s. prophetarum *Isaiae*, coliturque is tam in ecclesia graeca, quam latina; quemadmodum in actis sanctorum a *Bollandistis* conscriptis tom. 2 mensis iulii pag. 250 et 251, fuse demonstratur.

(7) Homil. 8 in Genes. et Homil. 40 in 1 ad Cor.

(8) Ad IV. Reg. c. 49.

(9) In lib. de ver. relig. c. 26.

(10) In Ench. bibl. l. 1.

(11) Prol. in *Isaiam*.